



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

LV. Das Kloster Diesdorf bekundet, wie es das ihm von der Gemahlin des Herzogs Otto von Lüneburg und Braunschweig geschenkte Geld zum Ankauf von Hebungen in Rüstenbeck angelegt habe, am 25. November ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

LV. Das Kloster Diesdorf befundet, wie es das ihm von der Gemahlin des Herzogs Otto von Lüneburg und Braunschweig geschenkte Geld zum Ankauf von Gebungen in Rüstenbeck angelegt habe, am 25. November 1350.

Nos Olricus prepositus, Mechtildis priorissa totusque conventus sanctimonialium in Dyldorpe Christi fidelibus uniuersis salutem in domino. Nouerint uniuersi, quibus presentia fuerint recitata, quod cum viginti nouem marcis denariorum cum quinque solidis et septem denariis ex gratiosa pietate inclite domine illustrissime principis Ducis Ottonis de Luneborch et Brunelwich conthoralis nobis datis, comparauimus nostro conuentui in villa Rustenbek IV marcas denariorum annis singulis in festo B. Martini ex prouentibus totius ville deriuantibus a priorissa percipiendo sustulendas. Pro huiusmodi elemosinarum largitione memoria sui et suorum progenitorum in festo conuersionis B. Pauli iugiter peragetur. Etiam Priorissa quecunque fuerit pro tempore dictas IV marcas denariorum percipiat annis singulis in dicto festo conuersionis B. Pauli conuentui distribuendo. In cuius testimonium et ut memoriter huiusmodi contractus habeatur, presentem litteram super hoc conscriptam nostris sigillis dedimus communitam. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. quinquagesimo, in festo B. Katerine virginis.

Gerdens's Dipl. II, 196-198. — Beckmann's Beschreibung a. a. D. Sp. 144. 145. -

LVI. Verschreibung des Klosters Diesdorf für seine Conventualinnen Kunigund Burmeister und Elisabeth von Marenholz über das zum Ankauf von Rüstenbeck hergegebene Geld, am 25. November 1350.

In nomine domini amen. Nos Olricus prepositus, Mechtlydis priorissa totusque Conuentus sanctimonialium in Dyldorpe salutem omnibus in perpetuum. Recognoscimus presentibus et testamur, quod Konegundis Burmeisters et Elyzabeth et Elyzabeth, sorores, Sanctimoniales, dicte de Marnholte, ad pecuniam datam pro emptione ville Rustenbeke et prouentuum eiusdem octo marcas cum dimidia Stendalgenfis argenti de elemosinis sibi pro deo ac amicorum subsidiis datis plenariter addiderunt. Pro qua pecunia nos prepositus, priorissa totusque conventus prelibati prenominatis tribus personis de eiusdem ville prouentibus tres marcas denariorum singulis annis in festo B. Martini, quam diu una earum superuixerit, erogabimus dubio quolibet profligato. Nouissima vero predictarum trium personarum superuiuens pro voluntate sua libera personam constituat fidelem, que predictas tres marcas recipiat annuatim et pro consolatione distribuatur et peragetur memoria parentum predictae Konegundis in vigiliis in festo Johannis et Pauli martyrum beatorum. Ad huius autem facti perpetuam obseruantiam et euentiam firmiorem presentem scriptum dedimus cum sigillorum nostrorum appensione roboratum. Datum sub anno incarnationis domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. quinquagesimo, in festo B. Katerine virginis et martyris gloriose.

Gerdens's Dipl. I, 201. 202.